

nes secundae, nempe prout exhibent diversum ordinem, quo ad notiones sibi subiectas ab intellectu referuntur, et diversos respectus, secundum quos de iis praedicari possunt⁴; in Ontologia autem, prout sunt notiones *primaes*², nempe prout quasdam naturas repraesentant, et principia diversitatis rerum sunt³.

4. Cum hoc sit Ontologiae obiectum, facile intelligitur eius praestantiam in hoc positam esse, quod ab ipsa omnes aliae scientiae pendent. Etenim supremae notiones, de quibus Ontologia agit, suppedant principia, quae dicuntur communia⁴, quia non aliquem speciale modum entis, sed universales rationes eius repraesentant. Atqui a principiis communibus vim, et firmitatem suam mutuantur principia propria diversarum scientiarum, quia principia propria non sunt, nisi principia communia ad diversas speciales materias contracta⁵. Ergo Ontologia huiusmodi est, ut ab ea ceterae scientiae pendeant.

5. In hac potissima philosophiae parte ordini, et perspicuitati consulere volentes, primum de iis omnibus, quae pertinent ad *ens*, quod per diversas categorias determinatur, disseremus; deinde, solutis quibusdam quaestionibus de categoriis in genere spectatis, has singulas explicabimus.

CAPVT PRIMVM

De ente absolute spectato

ART. I. *De notione entis, et de eius distinctione in possibile et reale*

6. Notio *entis* non est capax definitionis proprie sumtae. Etenim aliqua notio proprie definitur, cum in elementa, quae complectitur, evolvitur. Atqui notio *entis*, cum, ut mox videbimus, sit prima, et simplicissima, ex pluribus elementis non constat.

¹ Cf Log. I. c., art. 1, p. 9-10.

² De discrimine inter notiones primas, et secundas, cf Log. loc. cit. p. 10, not. 1.

³ Cf B. Alb. M., *Praedicam.*, lib. II, tract. I, c. 1. Ex his perspicitur categorias in Logica tamquam aliiquid ideale, in Ontologia tamquam aliiquid reale tractari. Hinc ii, qui cum Giobertio (*Protol.*, Saggio I, n. 3, *Del pensiero*) categorias sub unica tractatione comprehendunt, reale cum ideali, et metaphysicam cum logica, aequae ac Hegelius, confundere coguntur.

⁴ Cf vol. I, Log., p. II, c. III, art. 1, p. 61.

⁵ Hinc s. Thomas haec principia communia quaedam scientiarum semina, semina omnium sequentium cognitionum, et rationes seminales scientiarum scite vocavit; Qq. dispp., *De Ver.*, q. XI, a. 1 c. et ad 5, et a. 2 c.

Ergo notio entis non est capax definitionis proprie sumtae. Hinc ad declarandam notionem entis non aliud nobis superest, nisi ut dicamus nomine entis designari quidquid quocumque modo est, sive, ut strictius cum s. Thoma loquamur, *id, cuius actus est esse*⁴, vel quidquid habet *actum essendi*².

7. Quod si ens est illud, quod quocumque modo habet *actum essendi*, ens dicendum est cum illud, quod actum essendi iam *actu* habet, tum illud, quod actum essendi habet dumtaxat in potentia. Quapropter ens in *actuale*, seu *reale*, et *possibile* dividitur. Ens tamquam *possibile* intelligitur, prout denotat tantum aptitudinem ad recipiendum in se *actum*, hoc est aliquam perfectionem, seu formam; tamquam *actuale* autem, prout illam aptitudinem iam ab actu determinatam, seu perfectam habet³.

8. Ex his vides *possibile* illud esse, quod actu non est, sed est capax progrediendi ad actum, seu actu esse non repugnat, et proinde possibilitatem consistere in non repugnantia ad esse *actu*. Cum haec sit notio entis possibilis, liquet *impossibile* illud esse, quod non solum non est *actu*, sed etiam *actu esse* repugnat.

9. Possibile, et, quod ei opponitur, impossibile in *intrinsecum*, et *extrinsecum* dividitur. Possibile *intrinsecum*, sive *absolutum* dicitur illud, cuius termini huiusmodi sunt, ut secum componi possint, e. g., *animal rationale*; atque impossibile *intrinsecum*, sive *absolutum* illud, cuius termini se ipsos invicem destruunt, e. g., *circulus quadratus*. Illud autem, quod *intrinsecus* est possibile, dicitur *extrinsecus*, seu *relative* possibile, si referatur ad illam causam, per quam ad actum reduci potest, atque *extrinsecus*, seu *relative* impossibile, si referatur ad illam causam, per quam ad actum reduci nequit. Ita intellectui humano possibile est essentias rerum finitarum cognoscere, sed,

¹ *De Ente, et essentia*, Prooem. — ² *In lib. X Metaph.*, lect. II.

³ Potest etiam *ens* considerari prout *actu* in mente tantum viget, sive prout ab intellectu cogitatur. Iam ens hac ratione spectatum dicitur *ideale*, et duplicit generis est, vel nempe huiusmodi, ut extra mentem ipsam existere, sive produci possit, vel ita ab intellectu pendet, ut ab illo solo producatur, in eoque remaneat, neque sine intellectu cogitante ullibi esse possit. Si ens *ideale* hoc altero sensu accipiatur, *ens rationis* vocari solet, atque illis notionibus convenit, quas in Logica (p. I, c. I, art. 1, p. 10, not. 1, vol. I) *secundas* appellavimus. E. g., notio *generis* *ens rationis* exhibet, quia nihil in rerum natura potest respondere generi, prout genus concipitur.

si vires eius naturales spectentur, impossibile est cognoscere Essentiam Dei, prout in se est.

10. Ex his facile intelligitur id, quod est intrinsecus impossibile, esse quoque extrinsecus impossibile, quia, ut, suo loco ostendemus, ne Deus quidem efficere potest, ut ea, quae secum invicem pugnant, in eodem subiecto inveniantur; sed id, quod est intrinsecus possibile, esse extrinsecus possibile, si est intra vires causae, ad quam refertur; vel extrinsecus impossibile, si eius vires supergreditur¹.

ART. II. *De notione nihili*

11. *Nihilum* est negatio, sive *absentia entis*²; hinc Scholastici illud *simpliciter non ens* vocare solent. De hoc nihilo loquens s. Augustinus perbellè ait: « Nihil nec corpus est ullum, nec spiritus, nec his substantiis aliquid accidens, nec ulla informis materies, nec inanis locus, nec ipsae tenebrae, sed prorsus nihil³ ».

12. Nihilum, cuius notionem modo declaravimus, enti communissime accepto opponitur. At nihilum appellari etiam solet id, quod opponitur enti secundum aliquem modum determinato, ita ut denotet absentiam alicuius modi entis. Nihilum hac ratione spectatum distinguitur in *negativum*, et *privativum*. Nihilum negativum est absentia alicuius modi entis considerata in se ipsa, e. g., *non videre*, *non habere rationem*; nihilum privativum est absentia alicuius modi entis considerata in aliquo subiecto, quod ad illam habendam naturaliter comparatum est, e. g., *absentia visus in animali*.

13. Ex his in promptu est intelligere discrimen inter *negationem*, et *privationem*. Negatio enim non aliud denotat, nisi simpliciter aliquid non esse, quin denotet ullum subiectum, cui illud aliquid inesse naturale est. Privatio autem denotat aliquid non esse in subiecto, cuius natura illud expostulat⁴.

ART. III. *Quaedam adnotantur circa originem notionum entis, et non entis*

14. Praecipuas theorias, quae ad originem notionum entis,

¹ Nonnullas circa possibile, et impossibile quaestiones in *Theologia naturali* attingemus. — ² Cf Arist., *Met.*, lib. III, c. 2, § 8.

³ Op. imperf. contr. Julian., lib. V, n. XLIV.

⁴ Cf s. Thom., In lib. I Sent., Dist. XIII, q. 1, a. 4 sol.

et non entis spectant, sequentes propositiones complectuntur:

Prop. 1^a. *Notio entis prima est cum in ordine cronologico, seu temporis, quo intellectus notiones rerum adquirit, tum in ordine logico, quo notiones inter se continentur.*

15. Prima pars huius propositionis illud sibi vult, quod intellectus essentiam rerum materialium, quae est ipsius obiectum, primo, prout est ens, concipit¹. Altera pars significat in conceptum entis omnes reliquos resolvi².

16. *Probatur* 1^a pars. Mens humana ita comparata est, ut a notionibus magis communibus ad notiones minus communes progrediatur. Atqui nihil in rebus communius, quam ens, intelligi potest. Ergo mens humana obiectum sibi proportionalum, nempe essentiam rerum materialium, principio, prout est ens, intelligit.

17. *Minor* huius argumenti facile ex se perspicitur, quia quidquid in singulis rebus invenitur, sive substantiale, sive accidentale, est quoddam ens³. *Maior* autem ita demonstratur: Mens humana ita comparata esse debet, ut principio cognitionem rerum imperfectam adquirat, deinde ipsam gradatim perficiat, quia non in actu cognitionis, sed in potentia ad cognoscendum a Deo creatur. Atqui cognitio, quo magis communis est, eo minus est perfecta, quia quo magis communis est, eo pauciores notae proprias obiecti, quod repraesentat, complectitur⁴. Ergo mens humana ita comparata est, ut notiones rerum magis communes prius, quam minus communes, assequatur⁵.

18. Itaque intellectus, essentiam rei exploraturus, ex variis

¹ I, q. V, a. 2 c. — ² Qq. disp., *De Ver.*, q. I, a. 1 c.

³ I^a 2^{ae}, q. XCIV, a. 2 c. — ⁴ I, q. LV, a. 3 ad 2.

⁵ I, q. LXXXV, a. 3 c. Exinde intelligitur notionem entis, prout est prima in ordine cronologico, esse imperfectam, ac proinde indeterminatam, et confusam. Praestat autem hic adnotare ens *communissime* acceptum tamquam *indeterminatum* intelligi, quatenus non est hoc, aut illud ens, et tamen natura sua ita comparatum est, ut plures determinationes accipere, ac proinde ad hoc, vel ad aliud determinari queat. Quare abnormis est sententia Hegelii, qui ex eo quod Ens, sive, ut ipse ait, *Ens-Idea*, est indeterminatum, ipsum esse purum putumque nihilum conficit. Nam nihilum capax non est ullius determinationis, dum e contrario *ens* huiusmodi est, ut in singulis naturis rerum diversis modis determinari posse intelligatur. Ceterum, nihil est negatio entis; ac proinde si ens, sive *Ens-Idea*, est nihil, dicendum erit ipsum esse ens, quod non est ens, sive ens, et non ens.

rationibus, quibus illam concipere potest, rationem entis primo in ea cogitat. E. g., ex variis conceptibus, quos intellectus circa hominem, qui primo ei occurrit, efformare potest, puta *animalis, corporis, substantiae*, primus est conceptus, quo illum velut ens cogitat.

19. *Probatur 2^a pars.* Notio in aliam resolvitur, quoties haec illam continet. Atqui notio entis reliquas omnes notiones continet. Ergo in notionem entis omnes reliquae notiones resolvuntur. Hinc si ab omnibus notionibus removeantur cunctae differentiae, quibus ab se invicem determinantur, remaneat ens, quod omnibus commune est.

20. Ex hac propositione tria corollaria consequuntur:

1° Notio entis, quae est prima omnium, est abstracta, non vero concreta. Etenim intellectus non potest intelligere essentiam rerum materialium dumtaxat prout est ens, nisi in ea consideret rationem entis, non considerando aliquid ex iis, quibus ens in ipsa determinatur. Atqui considerare in aliqua re unum, quin cetera considerentur, constituit illam actionem intellectus, quae abstractio nuncupatur. Ergo notio entis, de qua disputamus, ope abstractionis conficitur, ac proinde est abstracta¹.

2° Entis notio, quam omnium primam intellectus adquirit, cum sit omnium communissima, neque essentiam, neque existentiam repraesentat, sed *actum essendi*, sive actualitatem communem essentiae et existentiae.

3° Ens, cuius notionem omnium primam intellectus sibi conficit, est illud, quod *actum essendi* reale, non vero possibilem denotat. Et sane, ut intelligatur aliquid esse possibile, intelligere oportet primum elementa, ex quibus ipsum constat, et deinde haec eiusmodi esse, ut secum componi possint, ac proinde notio entis possibilis nequit esse prima omnium, quas intellectus adquirit. Contra ea, ens, quod intellectus primum omnium cognoscit, est reale, quia essentia rerum materialium, quam ipse sub ratione entis primo intelligit, est, ut alibi dixi-

¹ Hinc vides quam turpiter errant Pantheistae, qui ut res, quotquot sunt, esse unum ens conficiant, contendunt ens concretum, et reale in rebus esse ipsum ens universale, cuius ideam intellectus habet, et quod velut unum cogitat. Item intelligis valde decipi Ontologos, cum autem tantum ens, quod mens humana principio apprehendit, esse ens realissimum, et concretum, nempe ens, quod Deus est.

mus, realis². Hic autem advertendum est, ens, quod primum omnium intellectus intelligit, etsi sit reale, tamen ipsum non cognosci ab intellectu, tamquam reale; nam cognitio entis, tamquam realis, est reflexa, et distincta, quia intellectus nequit cognoscere aliquid tamquam reale, nisi super se reflectatur, naturamque entis, quod apprehendit, expendat³; dum e contrario notio entis, quam intellectus primam omnium adquirit, est directa, et confusa.

21. Prop. 2^a. *Nihilum ab intellectu cognoscitur non per seipsum, sed per eius oppositum, nempe per ens communissime sumtum.*

Probatur 1^a pars. Non potest per seipsum intelligi illud, quod esse sui proprium non habet. Atqui nihilum non habet in se aliquod esse. Ergo nihilum per seipsum ab intellectu cognosci non potest⁴.

22. *Probatur 2^a pars.* Intellectus non potest intelligere absentiam cuiusdam specialis determinationis entis, nisi intelligat aliquid obiectum, in quo illa determinatio entis invenitur. E. g., nobis non licet intelligere absentiam rationis in bellua, nisi ex eo, quod rationem homini inesse novimus. Atqui non ens, seu nihilum denotat absentiam entis communissime sumti. Ergo intellectus non potest intelligere nihilum, nisi per ens communissime sumtum, cui nihilum opponitur. Quare s. Thomas statuit intellectum notionem nihili sibi confidere ex eo, quod absentiam entis concipit⁵.

¹ Ex his illud magis confirmatur, quod antea ostendimus (*Ideolog.*, c. I, art. 3, p. 192 sqq, vol. I), nempe falsam esse Rosminii sententiam, qua statuit ens, quod primo a nobis cognoscitur, esse ens possibile.

² Cf *ibid.* — ³ Cf s. Thom., I, q. XVI, a. 3 ad 2.

⁴ *Ibid.* Ex hac argumentatione facile perspicitur error Ad. Frankii (*Dict. phil.*, art. *Être*), aliorumque nuperorum, qui Parmenidem secuti, nihilum absolutum cogitari non posse praefracte contendunt, quia conceptus nihili absoluti esset conceptus sine ullo obiecto, quod concipitur, nempe sine ullo termino, ad quem refertur. Nam hi oppido falluntur. Nam intellectus, ut ostensum est, intelligit nihilum, sive non ens, non per seipsum, sed per ens, cui opponitur, ac proinde terminus, ad quem conceptus nihili refertur, non est ipsum nihilum, sed ens, quod a nihilo negatur. Eodem modo se res habet in iis conceptibus, in quibus intellectus negationem alicuius modi *entis* cogitat. E. g., cum intellectus plantam non sentientem concipit, terminus huius conceptus non est non sentiens, sed sentiens, quod particula negans non tollit.

ART. IV. *Principium, quod ex notione entis dimanat, exponitur*

23. Mens humana, postquam assecuta est notiones entis, et non entis, illud iudicium conficit: *Non est possibile ens esse simul, et non esse;* sive: *Non est possibile idem simul esse, et non esse.* Hoc iudicium vocatur *principium contradictionis*, quia esse, et non esse, quae sunt eius termini, contradictoria sunt¹. Nam circa hoc principium duo investiganda a nobis sunt: 1º utrum sit primum principium; 2º utrum, praeter ipsum, aliud primum principium admittendum sit.

24. Primam quaestionem solvimus sequenti propositione: *Principium contradictionis est omnium primum.*

Probatur. Quin hoc iudicium, *idem non potest simul esse, et non esse*, inter principia, seu inter iudicia ex se perspicua re- censendum sit, nulli dubium esse potest. Nam *non ens tollit ens*, ac proinde nullo medio opus est intellectui, ut intelligat id, quod est *ens*, non posse esse id, quod est *non ens*, sed hoc im- mediate intelligit ex comparatione notionum *entis*, et *non entis*². Quod autem sit principium omnium primum, ita demon- stratur: Ut aliquod principium sit omnium primum, illud prae- cipue expostulatur, quod ad ipsum cetera omnia reducantur. Atqui huiusmodi est *principium contradictionis*. Ergo princi- pium contradictionis est omnium primum³.

25. *Probatur minor.* Et sane, principium contradictionis ex conceptibus entis, et non entis conficitur. Atqui conceptus entis, et non entis sunt illi, ad quos, veluti ad omnium supremos, reliqui omnes reducuntur⁴. Ergo principium contradictionis eiusmodi est, ut ad ipsum omnia reliqua principia reducantur. Inde fit, ut principium contradictionis sit fundamentum reliquo-

¹ Advertendum est ad contradictionem tria requiri: 1º ut idem inesse, et non inesse dicatur; 2º ut sit idem subiectum, de quo inesse, et non in- esse enuncietur; 3º ut eadem sit ratio, secundum quam idem inesse, et non inesse dicitur.

² Cf *Criteriol.*, c. IV, art. 1, p. 242, vol. I.

³ Advertito principium contradictionis non esse huiusmodi, ut ex ipso si- ne principiis propriis realitas rerum elici possit. Hinc erravit Wolfius (*On- tol.*, par. I, sect. I, c. 1), quod ab unico principio contradictionis omnes scientias derivari sensit. Vid. quae diximus in *Log.*, p. III, c. IV, art. 2, p. 90, not. 1, vol. I. — ⁴ Cf p. 8.

rum principiorum, quia firmitatem suam ceteris principiis o- mnium scientiarum communibus largitur; siquidem si quis inve- stigare velit, cur de illis principiis ne minimum quidem dubi- tare possit, statim deprehendit, id ex eo evenire, quod si falsa es- sent, idem simul affirmaretur, et negaretur; unde reliqua prin- cipia possunt *indirecte demonstrari*¹ per principium contradic- tionis contra illos, a quibus impugnantur; quisquis enim ali- quid illorum impugnat, ad idem simul esse, et non esse asse- rendum tandem cogi potest.

26. Quod ad alteram quaestionem spectat, Leibnitus statuit *principium contradictionis* esse primum principium veritatum necessariarum, et principium *rationis sufficientis*, quod signifi- cat his verbis, *Nihil est sine ratione suffiente*, esse primum principium veritatum contingentium².

27. Quid de hac Leibnitii sententia tenendum sit, adstruitur in sequenti Propositione:

Principium rationis sufficientis est verum, et valet non solum pro veritatibus contingentibus, sed etiam pro veritatibus neces- sariis, ita ut tamquam principium ipsarum habendum sit, sed non tamquam primum principium.

28. *Probatur 1^a pars.* Ut aliqua res in mundo potius existat, quam non existat, atque existat potius hoc, quam illo modo, non solum requiritur aliquid, quod sit causa, ex cuius vi exi- stat, sed etiam aliquid, propter quod ad potius existendum, quam non existendum, atque ad existendum potius hoc, quam illo modo determinetur. Atqui illud, propter quod res ad cer- to quodam modo existendum determinatur, est ratio sufficiens existentiae eius. Ergo nihil sine aliqua ratione sufficiente existit.

29. *Probatur 2^a pars.* Omnes res creatae non solum conti- gentes, sed etiam necessariae, puta non posse existere hominem, nisi ratione polleat, ordinatae sunt a Mente Divina, cum Deus infinite sapiens sit. Atqui ubi est ordo, ratio quoque est³.

¹ Indirecte inquimus, quia principia communia, cum sint ex se perspi- cua, proprie sumtam demonstrationem non admittunt. Cf *Log.*, p. II, c. III, art. 1, p. 61, vol. I.

² *La monadologie*, § 31-38; *Princip. de la nat.*, § 7, et 8.

³ « Deus, inquit Tertullianus, omnium conditor, nihil non ratione tracta- ri, intelligendi volunt »; *De Poenit.*, c. I.

Ergo non solum rerum contingentium, sed etiam necessaria-
rum rationes sufficietes sunt.

30. *Probatur* 3^a pars. Omnes veritates tam necessariae, quam
contingentes in effatum *rationis sufficientis* resolvi possunt¹.
Atqui illa veritas, in quam aliae resolvuntur, est principium
earum. Ergo effatum *rationis sufficientis* est principium verita-
tum tum necessariarum, tum contingentium.

31. *Maior* ita demonstratur: Si cuiusque rei sive contingentis,
sive necessariae aliquid esse debet, per quod ad certo modo exi-
stendum determinatur, consequens est in resolutione cuiusque
veritatis cum contingentis, tum necessariae posse tandem per-
veniri ad aliquid, ex quo, cur potius uno, quam alio modo exi-
stat, intelligatur. Atqui id est, quod ratio sufficiens dicitur.
Ergo omnes veritates tum contingentes, tum necessariae in ef-
fatum *rationis sufficientis* resolvi possunt.

32. *Probatur* 4^a pars. Illud principium omnium primum dici
nequit, quod in aliud se superius resolvitur. Atqui effatum *ra-
tionis sufficientis* in principium *contradictionis* resolvitur. Ergo
effatum *rationis sufficientis* primum principium dici nequit.

33. *Minor* probatur hoc modo: Si nihil in re est, per quod
ipsa ad certum modum existendi potius determinatur, quam
non determinatur, consequens est posse eamdem rem certo quo-
dam modo simul esse, et non esse. Atqui id contradictionem
involvit. Ergo effatum *rationis sufficientis* in principium *contra-
dictionis* resolvitur.

CAPVT II.

De entium essentia, existentia, et proprietatibus

Postquam disseruimus de ente absolute spectato, prout nempe
quidquid in rebus nobis occurrit, velut quoddam esse a nobis
intelligitur, ad diversas rationes, quas in esse rerum creatarum
apprehendimus, nempe esse *essentiae*, *existentiae*, et *proprietati-
bus* exponendas progrediamur.

¹ Resolvi possunt, inquit, non debent, quia, quamvis certum sit nihil
esse sine ratione sufficienti, tamen non semper rationes rerum sufficien-
tes detegere nobis licet.

ART. I. Notiones essentiae, existentiae, et proprietatum declarantur

34. *Esse essentiae*, vel simpliciter essentia definitur, id, quo
aliquid in certa rerum specie collocatur, vel id, per quod res est
id, quod est, ac a ceteris rebus discriminatur². Essentia dicitur
quoque 1^o ratio rei, quia ipsa est ratio, ob quam res est id,
quod est; 2^o quidditas, quia est id, quo respondetur ad que-
stionem, quid res sit²; 3^o forma, quia forma, ut suo loco vi-
debimus, est id, quo res in specie constituitur, atque distingui-
tur a materia, per quam species in aliquo individuo determina-
tur; 4^o natura, quia ipsa est principium, ex quo proprietates,
et operationes rei nascuntur, seu promanant.

35. *Existentia* autem variis modis exponi solet, qui ad idem
recidunt. Ipsa enim dicitur *actus*, quo res, sive *essentia* est, vel
id, quo res, seu *essentia extra nihilum sistitur*, vel brevius, *ac-
tualitas essentiae*.

36. Denique *esse propriatum*, vel *attributorum* est illud,
quod essentiae iam constitutae adiicuntur, ab eaque sive necessa-
rio, sive contingenter promanant.

ART. II. Lockii et Giobertii error circa cognitionem essentiae rerum refutatur

37. Lockius essentias in *nominales*, et *reales* distinxit. Reales
essentiae, eius iudicio, sunt quae physice res constituunt; *no-
minales* vero, quae a rerum constitutione haud pendent, sed
opus sunt nostrae mentis, que revocat varias res ad nonnullas
species, et confingit generalia quedam nomina ad illarum dis-
crimen designandum. Docuit praeterea *nominales* quidem es-
sentias, numquam vero reales a nobis cognosci³. Eamdem sen-
tentiam tuitus est Giobertius; hic enim essentias, quas Lockius
nominales appellavit, *rationales* vocavit, atque essentias reales

¹ Hic alter modus definiendi essentiam consequitur primum, nam res ex
eo, quod ad certam speciem pertinet, efficitur id, quod est, atque a cete-
ris rebus discriminatur. Ex eo autem, quod res per essentiam est id, quod
est, efficitur, quemadmodum s. Thomas inquit, ut ipsa per essentiam, et
in essentia habent esse; *De Ente, et essentia*, c. 1.

² Hanc ob causam dicitur etiam *definitio rei*, quia definitio, ut diximus
in *Logica* (p. I, c. I, art. 10, p. 20, vol. I), denotat quid res sit.

³ *Essai sur l' entend. hum.*, lib. III, c. 3, § 15-17.